

Z  
7046

C A R M I N A X 204 8058

*In festivitatem Nuptiarum,*

Virtutis & Eruditionis laude præstantissimi  
Viti-Juvenis,

Dn. C A S P A R I  
S T V M P F II, dicti L A H R, Quæsturæ  
Saxo-Hennebergicæ Adjuncti,

*Amplissimi Viri, Dn. HIERONYMI  
STVMPFII, dicti L A H R, Serenissimi Electoris, & rel.  
Ducum Sax. &c. in Principatu Hennebergico,  
EPHORI, & QVÆSTORIS,  
FILII, Sponsi:*

E T

*Leetissima, Pudicissimæq; Virginis*

S V S A N N Æ;

Viri Spectatiss. & Integerrimi, Dn. IO-  
HANNIS SCHOT, apud Meinungenses Prætoris,  
& Ærarij publici Curatoris,

F I L I Æ, sponse;

*Solenniter celebratarum Schleusinge, 19. Novembr.*

Honoris & Amoris ergò scripta,

*Fratribus, Affinibus, Amicis.* P 140

Anno Partus salutiferi, M. DC. XXII.

Schieusingæ,

*Typis Hieronymi Steinmanni.*

vergl TR 480AK



BIBLIOTHECA  
PENICILLAVIANA



•S(?)S  
CASPARUS STUMPFIUS, ALIAS COGNOMEN-  
TO LAHR. I. S.

Per anagramma:

SUSANNAM SCHOTTI FILIAM PURUS COLAS:  
O PERGAS.

Evolutio Anagrammatis:

**Q**uale lecto & recto tibi Nympha locanda jugali,  
Illius est Nomen, nomine, SPONSE, tuo.  
Res fato regitur, si trita paræmia vera,  
Omnia vincit Amor: Vincet & omen Amor.  
Vincat ut omen Amor, venit haec victoria cælis,  
**S**USANNA M SCHOTTI FILIAM amore COLAS  
PVRVS, & illa colat te pura favore vicissim,  
O sancta PERGAS hanc coluisse fide.  
Suggerat accensas fax cælica pectore flamas,  
Totus sis illi, tota sit illa tibi.

Chronodistichon.

Ian-SChott Caspare tibi SUSANNA CoroLLaM  
SIstet, Ut haC VIgeat, Sponse per Ite, preCor.

Boni ominis ergo F. Affini honorando.

Johan. Mercker D. ordinarius  
Schleusingæ Medicus.

•S(?)S(?)S

*Ad Dn. Sponsum.*

**T**ristia miscent urlatis, & funera funus  
Insequitur, fluctum fluctus ut insequitur.  
Quærenti Sponso, de te sit fabula, dico;  
Sunt ea namque tui prævia signa toris.  
Conjugio semper mala sunt vicina secundo,  
Et bona mixta malis, & mala mixta bonis.  
Hanc ad mixturam te des in limine primo,  
Dum venit in thalamum Sponsa petita tuum.  
Namque feres leviùs mala, quæ prævisa fuerunt,  
Quàm quæ non fuerint præmeditata prius.  
Vtque feras leviùs, Iovam, qui fasce levabit,  
Hisce tibi precibus cœlitùs addo meis.

M. Wendelinus Glumper, Eccl. Schleus. Archidiacon.

ΓΑΜΗΛΙΟΝ vel ACROSTICHIS.

**C**aspere, ecce tuam Sponsam, Dilecte, Susannam  
**A**sumis Schottin, fædere conjugij!  
Scilicet Heinrici fratris vestigia tangens  
**P**romissis Sponsæ stas, stat & ipsa suis.  
Artibus ingenuis summos concendis honores,  
**R**erum multarum gnarus & arte potens.  
**S**TVMPfius à Lahr es dictus, tua Nympha **S**Ußanna.  
**V**irgo pudore nitens, obsequiosa D E O.  
Sis igitur gratus Jovæ gratusque parenti,  
**A**tgue adames Sponsam mente animoque tuam.  
**N**unc precor, altitonans junctis det pignora grata,  
**N**oscant quæ verâ religione Deum.  
Affectionque suos ardenter amore parentes,  
**S**PONsus cum Sponsâ filiolique, senes.

ACRO-

## ACROSTICHIS Germanica.

**C**hriste du wahrer GÖTtes Sohn /  
**A**uch wahrer Mensch Mariæ Sohn /  
**S**itzt zur Rechten ins Vaters Reich /  
**P**rächtig regierst mit ihm zu gleich /  
**A**llzeit dem heiligen Ehestand /  
**R**eichstu dein Allmächtige Hand /  
**S**o fern man dich ersuchen thut /  
**V**om Segen vnd Gedeien gut :  
**S**olchs ohn zweifel auch beyde Leue  
**A**llzeit gethan / welche man heut  
**N**ach GÖTtes Ordnung Ehelich traut /  
**E**hemlich Casparn Stumpff / vnd sein Braut.  
**A**ch GÖTT verleih dein göttlich Gnad  
**B**reutgam vnd Braut frue vnd spat.  
 Honors & amors ergö

*M. Ioannes Ottho, Pastor Exdorfensium  
& Obendorf. affinis componebat.*

**L**ætus ovas animis merito , Carissime Sponse ,  
*Nam venit in thalamum tandem tua casta Susanna.*  
 Prob formosa rosa ! hinc faustum Pæana sonare  
 Te decet ; unanimis binis concordia flammis  
*Atria vestra colat , benedictio divite Cornu*  
*Numinis æterni vestros ditare penates*  
*Pergat , sic tandem rebus feliciter actis .*  
*Perpetua faciat migrare ad secula uitæ .*

In boni omnis augurium ,  
 Vera Amicitiae et Affinitatis testimonium , et debitæ  
 congratulationis officium ,  
 Einhusij submonitus scrib .

M. Daniel Meiß.

**C**Onjugium primus qui Dulce vocavit amarum,  
 Huic, reor, haud vero devius error erat.  
 Dulcis amarities, & mixtus amaror amore  
 Conjugium est: Teda tædia multa ferunt.  
 Trux modò conjugibus crux, lux modò candida fulget:  
 Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.  
 Non hæc eloquerer, si linguas, oraç̄ centum  
 Si mihi confessim Svada diserta daret.  
 Hoc refero tantum: Parcæ, mi SCHOTTE, secando  
 Nuper filiolæ stamina comta tuæ,  
 Ora tuasç̄ genas lacrymas civere rigantes;  
 Turbarunt cordis viscera cuncta tui.  
 Sertis floricomus nunc connubialibus Hymen  
 Majoris gnatae condecorando comas,  
 Gaudia tedarum sacrarum lœta parando,  
 Et sua munificâ dona ferendo manu,  
 Omnem tristitiam lethæis obruit undis,  
 Atç̄ animum cœli tollit ad astra tuum.  
 Cor micat, & trepidis saltant tua pectora fibris;  
 Lætitia totus ceu rapiente fluis.  
 Lœta decent lœtos: lœto felicis honores  
 Applausu thalami concelebrare decet.  
 Gaudia mente ferens tecum, precor, omnia posthac  
 Eveniant vobis dulcia, triste nihil.  
 Quinetiam thalamo gener ignataeç̄ jugali  
 Dulcia cuncta fluant, tristia nulla ruant.  
 Dulcem ne tristis perturbet amaror amore,  
 Dulcior adsit ἔρως, tristior absit ἔρις.  
 Teda maritalis sibi tædia nulla reportet:  
 Sit sine lite torus, non sine Dite domus.

Vota

Votatori superis fœcunda se cundaq; fatis  
Sint socij: Vota hæc sint rata , fata velint.

Honoris & amoris ergo scrib.

Georgius Finckius Helmers-  
husensium Pastor.

Conjugio quid Sponse tuo CASPARE futuro  
Vis precer ex animo plenius aut melius?  
Æmula Fortunæ tua sit fortuna Parentis,  
Augmentum Gaze sic erit & Thalami.  
Nec tibi deerit Honor, grato qui munere Divum  
Virtutem atq; Artem, semen honoris habes.

M. Jacobus Sorger, ill. Scholæ  
Schleusing. Rector.

Ad Dn. Sponsum.

Vdere si vellem, tua vel cognomina possent  
Materiam nobis suppeditare joci.  
Ait alijs parco, quoniam non omnibus unum est,  
Quod placet ; hic spinas colligit, ille rosas.  
Misso igitur ludo vobis breve succino votum,  
Aptius id nostro ducimus esse loco:  
Tot D E V S in vestrum gremium bona depluat alto,  
SCHLEVSA quo hic pisces, ovaq; piscis habet.

M. Vitus Jäger/ Illustris Scholæ  
Schleusingensis Corrector.

Votum

• 45 (i) 50 (i) 45 (?) 50

### Votum

## Logico-theologicum pro Matrimonij

συν Σεβ. 19. Novembris, contrahendi felicitate  
animitūs petitum, medullitūs scriptum.

**O**BTRIA Conjugij SVBIECTA, OBIECTAq; trina  
Disticha, dum rogor hæc, voce precante dabo :  
SPONSVM cum SPONSĀ DEVS en benedicito ! Sponsus  
Sit PATER ut, MATER Sponsaq; PROLE bona.  
TRISTITIAM excutiant genialis GAVDIA lecti,  
Ardor, AMORIS opus, corcula bina liget.  
Dura CRUCEM PRECIBVS junctis PATIENTIA vincat,  
Hæc TRIA Conjugium, ut FORMA dat esse rei.

M. Matth. Gottvvaldto,  
p. t. Cant. fig.

**I**N mundo bona quæ fiunt, Amplissime Prætor,  
Haud dubiè fiunt cuncta, volente D E O.  
Præsertim si quæ rectè connubia fiunt,  
Hæc fiunt fato, sive volente D E O.  
Nunc eadem nostram subeat sententia mentem  
De thalamo Gnatæ, Fautor amande, tuæ.  
Quis sacerum eximum tibi conciliavit, amico  
Constringens nexus pectora vestra : D E V S.  
Quis juveni egregio in gnatam castum indidit ignem,  
Conjungens arctè corcula bina : D E V S.  
Quis fatus : Caspar sit virq; caputq; Susanna ;  
Et sit Casparis costa Susanna : D E V S.

His

His redis, cum sint Jovā duce, & auspice Jovā,  
 Incepτæ, spes est omnia fausta fore.  
 Ergò ut succedat nuptiis benè, quod benè cœptum est,  
 Exorandus erit supplice voce DEVS.  
 Tu Pater omnipotens firmo jam fœderer nexos  
 Conserva, & semper pace tuere tuā.  
 Conjugij sit sancta fides, sint omnia fausta:  
 Progeneret pulcras pulcra SVSANNA rosas.  
 Nestoreos vivant animis concordibus annos,  
 Et videant Sobolis pignora cara suæ.

*M. Michael Buciūs Schol. Meinīng. Rector.*

Ad Sponsum.

**D**icitur haud frustrā: ridet post nubila Phæbus,  
 Res post adversas lēta redire solent.  
 Fallor, an hæc agitur tecum quoq; fabula, Sponse,  
 Nubila post cū nunc prospriora fluunt.  
 Illa dies etenim vel tandem illuxit in Orbe,  
 Quā venit in thalamum Sponsa petita diu.  
 Gratulor ergò tibi, thalamo, C A S P A R E , tuoq;  
 Iucundum auspiciū, cetera fausta precor.  
 Faustæ acclamationis ergò f.

*M. Johannes Buchner, Scholæ Schleus.  
Coll. & Alumnor. Communit. Inspector.*

CASPARUS STUMPFIUS

nāt ἀνάρχεμα  
PASTU SUM PAR S FICUS.

*Sponsus ad Sponsam.*

**P**ascitur in Sponsis livor persæpè jugatis.  
 Sed mea diversum NOMINA, Sponsa, sonant.

B

PASTV

PASTV SVM tibi PARS FICVS: hæc ficus amoris  
Dulcorem spondet deliciasq; meras.

*Sponsa ad Sponsum.*

Sifas, ut proprio misso, de comparis uxor  
Quæq; sui nomen nomine participet:  
PASTV SVM tibi PARS FICVS, en Sponse, vicissim!  
Ficus amoris ero, deliciumq; merum.

*Paulus Esterman ill. Scholæ Collega.*



In beatissimam vitæ hujus fluxæ  
& momentaneæ, cum immortalitatis per-  
ennitatem permutationem plausibilem admodum, quam gloriose con-  
secuti sunt unà, diei vix unius elapso invicem spacio, NEPTIS tener-  
ima, Viri Insignis, Domini Quæstoris Schleusingensis, HIERONY-  
MI STUMPFII, &c. natu minor Filiola, HELENA BARBARA: Et  
Avus virtute & Fide antiquâ conspicuus, Dn. PAULUS STUMPFIUS,  
Curiæ Senatoriæ Meinungensis Paraftates olim primarius; dum am-  
bo Nutu Divino singulari ab Obitus hora, loci quamvis tractu diver-  
so, Pridie illa; hic Nonis Octobris, 1622. Mortalitati, victorioso  
ad VITAM sempiternam transitu valedixerunt; atq; ita non tam lu-  
gendi, quam Nuptiale sacrum feliciter continuandi occa-  
sionem & ansam in medio reliquerunt, ac dudum

desponso FRATRI GERMANO.

ac Nepoti:

*Animadversio brevicula, si non operosa,  
non odiosa forsan.*

**S**Anguis ad agnatos proprios, plerumq; recursum  
Mortis & extremo fertur habere gradus.

*Forti-*

Fortius hos etiam perstringere creditur absens,  
 Inditia ut superent, aut documenta sui.  
 Sæpè licet, quod agit, tacitè Natura recondat:  
 Quod levet as Magnes scitur; Origo minus.  
 Sic trahit ad Cœli secum Commercia, menses  
 Mensa solo vix tres, STV MPF I A Neptis Avum.  
 Schleusingæ ante oculos subducitur illa Parentum,  
 Meinungæ agnatos inter, & iste Senex.  
 Sed tamen in fragili nunquam sibi corpore visa  
 Conveniunt animæ, major & unit amor.  
 Provida Fata videns, Naturæ abscondita lustrans,  
 Funera secreti quicquid, & ambo velint;  
 DIC: Superi eximum servate per omnia Gnatum,  
 Ne doleat fædus Sponsus inane Nepos.  
 Nenia quin potius, propioraq; rumpite Castra,  
 Rideat & redeat Pax ut amica toro.  
 Neptis, quid mirum? Naturæ debita solvit;  
 Quò citius, melius nunc ita quisquis obit.  
 Annorum satur ille Senex, exosus & orbem,  
 Dimitti voluit cum SIMEONE diu.  
 Venit utrig; quies, quam tempore dispare venit,  
 Iacturam instaaret Corporis, una dies,  
 Horaq; Judicij, Caro quo cum carne repostâ  
 Surget, & ex uno Sanguine Sanguis erit.  
 Cujus apex CHRISTVS rem consummabit ad unguem,  
 Ossibus in nostris OS, Caro, Sangvis ovans.  
 Macie rei Zelo, Tu SPONSE animosior adsis,  
 Connubiale memor continuare Sacrum.  
 Lugendum ut mæstis; latandum censeo letis,  
 Sollicitant Pietas, dextra, fidesq; data.  
 Vox Superum Sponsos pronunciat ipsa beatos,  
 Alterius Vita participesq; facit,

Conjugio mediante probo ; Chorus unde sonorus,  
Semper & assurgat messis opima Polo.  
Nunc ubi vivit avus plenis decoratus aristis,  
Majori numero vultus venire suos.  
Plus quid adornet opus ? Cæptum tractabile faxit  
Longævum, vegetum, fertile, Come, DEVS.

**Ad Dominum Sponsum,**  
**In ipsam Nuptiarum festivitatem, & tha-**  
lami adytum, exordio, successu ac fine longævitate subinde  
ad Nestoreos annos sese porrigente prosperrimum.

**Anagramma:**

**CASPARUS STUMPFIUS ALIAS LAR.**

**FAS ARMA SUIS, PLUS PARAT LUCIS.**

JVS vigili vigilat, vim viq; repellere Juris,  
SPONSE, velut de te dicere lute queam.  
Astruit, & latitans quandoq; in Nomine Numen  
Eventum, Causæ dexteritate notat.  
Quæ si justa subest, Palmâ mens Integra gaudet,  
Sparsa reformidans tela, minasq; minus.  
Fas quia ; quodq; DEVM concernere primitus ajunt,  
Ius hominum tribuit cuiq; fovere suum.  
Ne quid deficiat, subeatvè querela repulsa,  
Limine sub primo res nisi plana cadat ;  
( Iuris enim modus est, certisq; tenemur habens,  
Quas ultra RECTI cessat operta, via, )  
FAS PARAT ARMAS VIS, & PLVS post prælia LVCIS,  
Clausula fine probat, fusus ut hostis erit.

**Lucis**

Lucis inoffensam tunc pandit gratia famam,  
 Quicquid in immeritos turba prophana vomat.  
 Sic tibi de Pugnae prospexit, S P O N S E, tropæo  
 Arma parans fidâ, substituensq; manu.  
 Plus oneris si forsan erat, plus Lucis obortum  
 Præstat honore datum plus sit amore ratum.  
 Vicisti egregiè, Spolia ampla domumq; reportas.  
 Annuit à dextris S P O N S A locata tuis.  
**Gratulor** aere decus per FAS & Iura coruscans,  
 Hæc edocitus eras miles, & usus Ovas.  
**Gratulor** exhibitam Libani de vertice Sponsam.  
 Ut tu dignus eâ, T E q; ea digna venit.  
**Gratulor** accubitus, amplexus, Oscula, risus,  
 Mel super, alloquium, mellifluosq; jocos.  
 Abstineant utinam vitali stamine Parce,  
 Tornet utringz Malis vis inimica nihil.  
 Präsidet in medio tanti D E V S Ordinis auctor,  
 Dummodo sit Pietas incola; salva domus.  
 Inferat hæc quis nunc Convicia passus & Aten,  
 Fas ac Iustitiam deseruisse suos?  
**FAS PARAT ARMA SVIS, PLVS LVCIS;** Regula Sponsus:  
 Fas solident ejus Gratia, Luxq; torum.  
 Cetera curet amor, feret uvas tempore vitis,  
 Lux erit, & vivâ voce loquetur opus.

Cant: Cantic: I.  
 Rex in aceubitu  
 suo, Nardus dedit  
 adorem fvatitatis,

Offerebat bono ac gratulanti animo


Fridericus Faber C. Schleusing.  
 Scholæ Collega & Organœdus.

*Ad Dn. Sponsum.*

Pone gravem luctum, lætos de promito vultus,  
Exhilarent animum gaudia mille tuum.  
Venit enim tandem, post tot discrimina, tempus,  
Quo datur in thalamos, Sponse perite, tuos.  
Quam toties votis ardentibus antè petebas,  
Ceu levis æstivo tempore cervus aquas.  
Gratulor ergò Tibi Sponsam, quam cessit Jova,  
Nullus ad extremum quo sine perstat amor.  
Ille DEVS faciat multā Te prole beatum,  
Vivere cum Sponsa Nestoreosq; dies.  
Quid multis opus est? Tibi det, quæcunq; precarīs:  
Qui poterit votum plenius esse meum?

Συγχάρων scr.

Johannes Vendelinus Sul. Ill.  
Schol. Schleus. Collega.



*Ad Dn. Sponsum.*

Nempè cibus magis oblectat dilatus in horas.  
Et sperata diu fercula grata magis.  
Hac de te merito dici puto, Sponse, videntur.  
Nam tibi spem præter Sponsa retenta diu.  
Sponsa retenta quidem, sed non ablata per ævum.  
Sed nunc in casses incidit illa tuas.  
Hinc vos innumeros salvos ut præstet in annos.  
Faustum & conjugium det D E V S, hisce precor.

Συγχάρων f.

Casparus Boxberger, Scholæ Schleus. Collega.

Ad

— (c) — (x) — (?) —

Ad Dn. Sponsum Matruolem carissimum.

**C**armine prælongo reliqui gratentur Amici,  
Sponse, tuis NuptIIs; verum ego lineolis  
Binis: ut Jovæ gratum, sic omne dextro  
Felix incepturn sit Tibi conjugium.

ἐπι φενῶν μνχδ̄ opto

Wolfg. Müllerus.



**CASPARUS STUMPFIUS COGNOS-  
MENTO LAHRIUS;** } MEININGIENSES.  
**SUSANNA SCHODTIA** }

νατ̄ ἀνάγνωμα:

PROSIT FOMENTUM HOC: ANNOSUS GAV-  
DIA CARPAS,  
HINC SEMENTI INGENS SIS SALVUS.

**I**nstat Hyems, rigidos duro quæ frigore lectos  
Efficit, & solum penè cubare vetat.

Hinc de Fomento Tibi quod nunc prospicis, atq;  
Lecti addis sociam, pol! Neonymphe, sapis.

PROSIT FOMENTVM HOC! ANNOSVS GAVDIA CAREAS,  
HINC SEMENTI INGENS SIS, ita SALVUS eris.

Id quod animitus precatur

**M. Samuel Linck S. S.**

Theologiae Studiosus.

— (c) — (x) — (?) —

Dignus

46 (2) (4) (8) 40

Dignus nunc Naso eit nigro carbone notari,  
Dum cecinit: Rebus nomina conveniunt.  
Firmat id exemplo Sponsus, qui Stumphius acrem  
Schottiacæ Sponsæ se probat esse virum.  
Ergò Nasonem Stumphi tu perge notare.  
Acrem Schottiacæ Teḡ, proba esse virum.  
Connubiale jugum fælix sic, crede, futurum,  
Quemq; precor summe proliferumq; torum.

Proper. calam.

accinui

Benjamine Leuber LL. Stud.

---

Felicissima quattuor talenta  
Humani generis putantur esse;  
Oriri benè: Vivere & decenter:  
Faustè nubere: rectè & emoriri.  
Ortus quòd benè sis; it approbatum  
Priscæ stirpis honestior propago.  
Quòd vivas benè: Nominis reic̄  
Exploratio testis esse tentat.  
Quòd ducas benè candidam puellam,  
Præter stemma Patrum, bonæ puellæ,  
Ostendunt, quibus est decora, dotes.  
Nimirum tria dona singulatim  
Accépsti bonitate Gratiarum:  
Illorum duo non priora tangam;  
Tertium modò fabor his phaleucis:  
O quam villica Nuptialis apte  
Divinâ tibi sospitate floret,

Vt

Vt verè tibi gratuler jugales,  
Quibus deditus es subindè, amores!

### *AD EVNDEM.*

Gessit Amaltheæ roseam Fortuna corollam;  
Illam munierat cùm pharetratus Amor.  
Dum, Caspare, probam flagras in amore puellam,  
Illa suo titulo rosida ferta gerit.  
Quæ nempè est alijs Ebræâ voce, SV S A N N A:  
Hanc ego Romanâ prædico voce ROSAM.  
Sic juvat in placidos qualem properare lacertos,  
Elegit talem jam tibi divus Amor.

f. Nicolaus Rudolphus  
P. L. & Not. Publ.

Ergò petita tibi, & toties repetita SV S A N N A,  
Quod juncta est laterit tandem aliquando tuo;  
Gratulor ex animo tibi, Dilectissime Frater,  
Conjugioq; tuo prospéra quæq; precor.  
Vt magis atq; magis placeat tibi juncta SV S A N N A,  
Pareat, & pariat pignora grata tori.

Johannes Stumpff/ alias Lahr/  
junior, Sponsi frater

C

Inge-

**I**ngenij quoniam nimis est mihi curta supellex,  
Carmine pro docto nil nisi vota dabo.  
Non verò melius possum superaddere votum,  
Quàm si devotum succino : FIAT ! AMEN.

*Jacobus VVolfgangus Stumpff /  
alias Lahr / Sponsi Frater.*

**E**cce tibi in thalamum datur, ornatissime Sponse,  
Nostra SVS ANN A soror, sic statuente D E O.  
Ergò do vobis sincero pectore vota,  
Affinem affini quæ dare vota decet.  
Sit thalamus vester felix : Sint prospera cuncta :  
Sitq; ferax prolis, sit sine lite torus.  
Hoc votum breve, prolatum de pectoris imo,  
O clemens iubeas pondus habere D E V S.

*David Schott / Sponsæ  
Frater.*

*Votum*

*Ad dilectissimam Sororem.*

**P**Romta maritali quia porrigis ora capistro ,  
Atq; hinc discedis, cara SVSANNA Soror :

*Et*

Et mea prolatis votis decet addere vota,  
Vt vestro eveniant optima quæq; toro.  
Principium felix, medium felicius opto,  
Hæc superet finis prosperitate: Sat est.

Justus Schott / Sponsæ  
Frater.

F I N I S.



Am. Zejt 46  
RK.

C A R M  
*In festivitatem & laetitiam*  
 Virtutis & Eruditionis laetitiae  
 Viti-Juveniliae  
**Dn. C A S**  
**S T V M P F I I , d i c t i L**  
 Saxo-Hennebergica  
*Amplissimi Viri, Dn.*  
**S T V M P F I I , d i c t i L A H R , Se**  
*Ducum Sax. &c. in Princi*  
**E P H O R I , & QV**  
**F I L I I , Sp**  
 E T  
*Leclissima, Pudicissima*  
**S V S A N**  
 Viri Spectatiss. & Inter  
 HANNIS SCHOT, apud  
 & Aerarij publici C  
 FILIAE, Sp  
*Solenniter celebratarum Schle*  
 Honoris & Amoris  
 à  
 Fratribus, Affinibus  
 Anno Partus salutiferi,  
 Schieusinga  
 Typis Hieronymi S



vergl DR 48